ORATIONES A MINISTRIS SACRIS DICENDÆ CUM AD CELEBRATIONEM PRÆPARANTUR

AD TALARE

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei, tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

AD COLLARE

Súbice me, Dómine, dulci jugo tuo, dulcísque Matris tuæ Maríæ.

AD LOTIONEM MANUUM

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam: ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre.

AD SUPERPELLICEUM

Indue me, Dómine, novum hóminem, qui secúndum te creátus est in justítia et sanctitáte veritátis.

AD AMICTUM

Impóne, Dómine, cápiti meo gáleam salútis, ad expugnándos diabólicos incúrsus.

AD ALBAM

Deálba me, Dómine, et munda cor meum, ut in sánguine Agni dealbátus gáudiis pérfruar sempitérnis.

AD CINGULUM

Præcínge me, Dómine, cíngulo puritátis, et exstíngue in lumbis meis humórem libídinis: ut máneat in me virtus continéntiæ et castitátis.

AD MANIPULUM

Mérear, Dómine, portáre manípulum fletus et dolóris, ut cum exsultatióne recípiam mercédem labóris.

AD STOLAM

Redde mihi, Dómine, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum.

AD TUNICELLAM

Túnica jucunditátis, et induménto lætítiæ índuat me Dóminus.

AD DALMATICAM

Indue me, Dómine, induménto salútis, et vestiménto lætítiæ, et dalmática justítiæ circúmda me semper.

AD CASULAM

Dómine, qui dixísti: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: fac, ut istud portare sic váleam, quod cónsequar tuam grátiam. Amen.